

gnat ea inesse, quæ in se mutabilia sunt :
Hinc colligitur enti infinito nullos inesse
modos ; modi enim actu mutabiles sunt ;
quidquid igitur enti infinito inest id perti-
net ad attributa essentialia, aut si quid in-
fit quod ad modos pertinere videatur, id
instar attributi inest. Si aliquid ita se ha-
beat ut illius oppositum enti infinito sim-
pliciter & absolute non repugnet, illud ta-
men actu inesse repugnet, id instar attribu-
ti inest, quamvis ad modos pertinere vi-
deatur : ita V. G. Deus libere Mundum
creavit, ideoque absolute Deo non repu-
gnavit decretum de Mundo non condendo.
Quoniam tamen Deus libertate usus potius
existimavit Mundum condere, quam non
condere, contrarium decretum in Deo num-
quam fuit.

III. Hæc talia quorum oppositum abso-
lute non repugnat, quamvis actu inesse non
possint, *modos apparentes* appellabimus.
Tales modi non absolute sed hypothetice
tantum sunt necessarii. Etenim eorum op-
positum enti in infinito absolute non repu-
gnat, ergo non sunt absolute necessarii ;
quoniam tamen eos actu existere repugnat
hypothetice, ideo hypothetice tantum sunt
necessarii. E. G. Decretum de Mundo con-
dendo & non condendo simul in Deo dari
nequit ; quia tamen decretum de mundo
non condendo essentia divina non repugnat
absolute, decretum de Mundo condendo
non est absolute necessarium. Impossibile
autem est ut in Deo simul sit decretum
de Mundo condendo & de eodem non con-
dendo ; & præterea Deus, qui mutari non